DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA DE SCIRRHO PAROTIDIS EIVSQVE CVRA VNA CVM ANNEXA EXTIRPATAE HISTORIA.

QVAM

EX VNANIMI FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV

PRAESIDE

PERILLVSTRI, CLARISSIMO, DOCTISSIMO, CONSVLTISSIMO ET EXPERTISSIMO VIRO AC DOMINO

D. CAROLO CASPARO SIEBOLD

MED. ET PH. D. ANAT. CHIR. ET ART. OBST. P. P. ORD. REVERENDISSIM. AC CELSISSIM. S. R. I, PRINCIPIS EPISCOP. BAMB. ET WIRCEB. FRANC. ORIENT. DVCIS CONSIL. AVL. ET ARCHIATRO, NOSOCOM. IVLIAEI CHIRVRG. PRIMAR. ACAD. IMP. N. C. REG. CHIRVRG. PARIS. ET ELECTOR. ERFVRT. SCIENTIAR. VTIL. SOCIO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

CONSEQVENDIS

DIE XXI MARTII MDCCLXXXXIII,

PROPVGNABIT

AVTHOR ET RESPONDENS

IOANNES LVDOVICVS EBERHARDVS ORTH

HEILBRONNENSIS.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Vniuersitatis Typographi.

PATRI SVO CARISSIMO

M. EBERHARDO

RAYMVNDO ORTH

VERBI DIVINI MINISTRO

AC

SCHOLARCHAE

HEILBRONNENSI

HOC SPECIMEN ACADEMICVM

DAT DICAT DEDICATQVE

Filius obsequentissimus

Ludouicus Orth.

PROOEMIVM.

Nostrorum temporum ea est ratio atque indoles vt quam plurimi rerum nouitate aut saltem nouitatis specie, trahantur, moueantur atque ita oblectentur, vt non tantum semper aliquid noui percipere, videre, audire legereque gestiant sed etiam cogitent, quomodo & litterarum doctrinas qualescunque, noua facie indutas, ita commendent atque ordinent, vt quamplurimos nanciscantur fautores admiratoresque. Vnde quoque ii, qui specimine quodam edendo de suis studiis, in litterarum vniuersitate rite & cum emolumento tractatis, cupiunt reddere rationem atque adeo ex legibus institutis, moreque recepto se obstrictos sentiunt, id spectare solent, vt & nouitate rerum sibi concilient animos

mos quamplurimum & illorum vtilitate omnium paene promereantur aſſenſum. Hanc viam ingreſſi & in arte medica, qui nouas inuentiones, nouorum remediorum vires aliarumque rerum recens detectarum effectus ſalutares exponere atque litteris conſignare ſibi ſumſerunt. Ita & ego ad ſcribendum animum applicans, haec egregia exempla potius ſequi malui, quam antiqua argumenta proponere, ideoque hasce pagellas temporibus accommodandas eſſe cenſui. Parotidis igitur ſcirrhoſae ejusque curae deſcriptionem, cuius in omnibus libris rarius exempla inuenies, pro paruo ingenii mei modulo quantum poſſem declarare conſtitui, quod quidem conſilium vt bonis aequisque rerum medico-chirurgicarum arbitris non prorſus diſpliceat, ex animo optamus.

PARO-

PAROTIDIS HISTORIA.

Omne id, quod circa & pone aures positum, adeo ipsos tumores aut abscessus pone illas vel ex inflammatione progressos, vel ex metastasi critica natos, Parotides appellarunt Medici veteres. Facile exinde coniici potest, hos nullam certam notitiam de glandulae Parotidis functione habuisse. HIPPOCRATES, qui de glandularum vsu multa disserit in libro suo περι αδενων, nil, nisi situm eius breviter attingit. Inter Anatomicos VESALIVS *) descriptionem sed breuem his exhibet verbis: „ Glandulae quamplurimae notantur, quae sub aurium radice ad „ posteriorem inferioris maxillae sedem repositae cauitatem hic „ opplent, tutaeque vasorum distributioni praeficiuntur. Hac „ sede, qua glandulae reponuntur, citra characteris adminicu- „ lum, praescissae hic auris foramen obseruatu est facillimum. " Post eum CASPARVS BAVHINVS **) accuratius & distinctius Parotidem describere voluit, cuius verba adiicere mihi non ineptum esse videtur: „ Sub aurium radice corpora sunt glandulosa & „ solida, siue glandulae insignes & crassae, quas Parotides ali- „ qui vocant, cum harum tumor παρωτις dicitur. Quarum vsus „ praecipuus partes circumiectas humectare; nam ob validos & „ frequentes incidendi, confringendi, alimenta comminuendi, „ ac tandem loquendi motus articulatio his destituta, facile

A „ ex-

*) De humani corporis fabrica. Basil. 1542. pag. 211.
**) Theatrum anatomicum. Francof. ad Moen. 1605. libr. III. p. 358.

„ exſiccari & motui inepta reddi potuiſſet: quamuis etiam muſ-
„ culorum temporalium tendinibus maxillae proceſſibus infixis,
„ propugnaculi loco ſint, dein vaſorum diuiſiones muniunt ac
„ tuentur. Tum, vt aliquando cerebri excrementa ſuſcipiant,
„ quare cerebri emunctoria quibusdam dicuntur; & earum tumor
„ a GALENO Parotis dicitur, qui cauſatur a materia in eas vel a
„ capite decumbente & ibi poſtea impacta; vel a toto corpore
„ confluente, quod aliquando per criſes in febribus vſu venire
„ ſolet.“

In deſcribenda Parotide BAVHINO ſucceſſerunt plurimi, vt VESLINGIVS, VAN HORNE & alii, cum nempe notio corporis humani creſceret. Huius glandulae natura, tum ab anatomicis, cum a phyſiologis magis examinata & detecto a Stenone eius ductu excretorio de omnibus functionis ac vſus hypotheſibus ſententiisque nunc erat actum, cum natura eius in lucem prolata eſſet. Quo magis tamen a cognitione reali receſſere veteres, eo maior tamen ipſis notitia morborum eius fuit: quod teſtantur HIPPOCRATIS aliorumque ſcripta. Sed cum non ſit mei propoſiti morborum variorum originem ac hiſtoriam deſcribere, accedam ad anatomicam explicationem, qua enarrata ad ſcirrhum, ceteris huius glandulae morbis obiter indicatis aggrediar, cauſasque ſcirrhi, ſymptomata ac curam pro viribus meis exponam.

DESCRIPTIO PAROTIDIS ANATOMICA.

Inter glandulas ſaliuam ſecernentes maxima eſt Parotis, generis, vt Phyſiologi diuidunt, conglomerati. Locatur pone aurem, & late replet interuallum illud, quod eſt inter meatum auditorium,

um, cuius parti cartilagineae immediate adiacet, processum mastoideum & maxillae inferioris angulum; inde antrorsum producta subcutanea, partim nudae maxilla, partim masseteri musculo incumbit, lata ibidem & vsque ad processum zygomaticum sursum extensa. Figura eius ita est composita, vt in parte anteriori duo quasi cornua, quorum alterum superius sub iugo, alterum inferius sub maxillae inferioris margine locum teneant. Posterior eius pars nulla certa gaudet conformatione, vicinis partibus vbicunque annexa, plerumque tamen vsque ad stiloideum processum sese extendit. Componitur haec glandula ex innumeris paruis rotundis acinis, cellulosa tela mutuo inter se connexis & inuolucro communi tenaci fere tendineo conclusis fibrisque musculi latissimi colli quoad anteriorem & inferiorem partem tectis. Concurrunt ductibus suis minimis hae glandulae rotundae in vnum excretorium maiorem stenoianum a NICOLAO STENONE dictum, qui compluribus acinorum emissariis quasi totidem radicibus enatus ab ima Parotidis sede albus, vasculosus, ascendens primum, paulo supra mediam glandulam exit & transuersus fertur super musculum masseterem antrorsum tendens, quo in itinere simul recipit immissum ductum glandulae assidentis *) summitate Masseteris, quae modo continua ipsi Parotidi, modo ab illa separata est. Tum vero iuxta tumidam Masseteris oram reflexus, mutata directione introrsum deorsumque petens declivis, per discedentes musculi Buccinatoris fibras migrat, ac demum inter buccales glandulas iuxta medium dentem molarem superiorem

 in

*) Quam nonnunquam in cadauerum examinatione deentem, nonnunquam duplicem inuenit HALLERVS Physiol. m. Part. VI. p. 41.

in buccarum cauitatem operitur ac veluti oblique diſſectus hiat, nulla papilla nullo aggere eminente vallatus.

Impoſitas ſibi, a ſe ipſa tamen diuerſas habet glandulas *Parotis*, quas conglobatas nominant duas, tres, quatuorue, imo & plures in externa & poſteriore parte poſitas: plerumque duae ſolum adſunt, nonnunquam nullae. Frequentiſſimae ſunt ſuperior & inferior, quibus inter ſe nexus quidam eſt, per canalem ex ſuperiore in inferiorem deſcendentem.

Suſcipiunt hae glandulae in ſe multa vaſa lymphatica, faciei, colli & quidem partis eius lateralis atque occipitis.

Inſtructa eſt praeterea Parotis arteriis ſuis, ſanguinem pro ſecretione ſaliuae obeunda afferentibus atque venis, ſanguinem a ſaliuali latice iam ſpoliatum & a ſecretione adhuc reſiduum, mox reducentibus, quibus deficientibus ſecretioni ſtatim naſceretur obſtaculum: impedito noui ſanguinis affluxu.

Magnis non gaudet, ſed eo pluribus arteriis *Parotis*, exeuntibus e trunco carotidis ſuperficialis & transuerſa faciei; quorum non modo origo ſed & magna carotidis pars & rami ad alias decurrentes partes e. g. arteria occipitalis atque pharyngea ipſa *Parotide* teguntur.

Ramus ex trunco carotidis ſuperficialis in Parotide ſe diſpandens oritur circa mediam illius partem ſub arteria faciei transuerſa, quae originem ſuam e temporali trahit. Maximus eſt inter illos, qui ad Parotidem tendunt. Alios ramulos accipit Parotis a transuerſa faciei minores, tamen ob propinguitatem cordis haud

parui

parui momenti. Nerui hanc glandulam adeuntes proueniunt ex dura f ptimi paris portione & a tertio quinti paris ramo. Portio nerui feptimi dura exit ad extremitatem canalis auditorii inter ftyloideum & maftoideum proceffum, penetrat per glandulam Parotidem, ibique fe diuidens in multos & magnos ramos in partes vicinas omnes fe difpergit, atque ita, vt fcire haud poffumus, an vnus ramus in glandula ipfa maneat. Temporalis nervus fuperficialis f. auricularis, qui ex infima & quidem maiori portione nerui maxillaris f. guftatorii inter Parotidem & auriculam tectus ab arteria temporali afcendit ad auriculam externam, quo in decurfu glandulae etiam ramos dat. Alius ramus fub hoc ortus, pone condylum maxillae inferioris fub arteria temporali & Parotide antrorfum petit atque ipfi inferit filamenta quaedam neruea. Nec non ramuli Parotidem accedunt ex ramo ad marginem anteriorem fternocleidomaftoidei mufculi progrediente, ibique iuncto cum acceffo-rio octaui paris, qui ex fecundo ceruicis neruo oritur. Et huius quidem nerui irritatione debetur, quod in inflammatione glandulae Parotidis collum tam longe deorfum doleat ad clauiculam vfque & quod caput ad humerum lateris affecti & mentum ad partem oppofitam torqueatur.

Veniunt etiam ftamina neruea ex tertio neruo ceruicali & quidem ex illius ramo anteriore, cuius iterum diuifi pars maxima auricularis neruus dictus Parotidi fe iniungit.

PHY-

PHYSIOLOGICA CONSIDERATIO.

De fabrica Parotidis ipsius nil certi demonstrare possumus, quam quod constet ex innumeris acinis siue paruis glandulis; quarum quaelibet suam cauitatem suumque tubulum excretorium habet & quaelibet suis praedita est arteriolis secernentibus, vnde nomen conglomeratae ipsi tribuitur. In omnibus ergo hisce minutis glandulis ab allato arterioso sanguine separatur saliua; quae vero secreta debebat in os effundi, vt misceretur cibis tempore masticationis. Quae vt fierent breuissima via ac commodissima, ingeniosa natura prospexit; tubuli enim excretorii minimi, saliuam ex minutis his glandulis recipientes concurrunt & ad se mutuo confluunt; ita paulo maiores constituunt simulque pauciores tubulos, simili ratione hi denuo confluentes, tandem producunt illum canalem *stenonianum*, qui omnium illorum acinorum saliuam recipit, ac solus ea, qua iam dixi, via in os defert. Est iste humor, saliua dicta, aquosus, sine sapore, colore ac odore; exprimitur partim per vim perpetuam succedentis de corde in minima vasa sanguinis, partim per succussionem musculorum adiacentium in manducandis & subigendis cibis. Sed vis haec mechanica non sola causa est, quae promouet fluxum saliuae, cum etiam irritationes ciborum non modo assumptorum sed & illorum, queis frui adhuc desideramus, eundem effectum producunt. Quanam vero copia humor hic secernatur, quaestio est vix soluenda: tot enim concurrere possunt causae etiam in homine sano, quae mox fluxum eius promoueant, mox eius secretionem imminuant, totque obseruantur variationes, vt problemati huic soluendo plane impares simus.

Attamen ad duodecim vncias referri credidit NVCKIVS ſpatio horarum viginti quatuor. Quanti vero momenti ſit in oeconomia animali, vix effugere poterit eum, qui maſticationis, deglutitionis imo & ipſius digeſtionis actiones vel pauliſper conſiderauerit.*)

DE MORBIS PAROTIDIS.

Iam ſupra diximus, veteres medicos omnes circa aures tumores Parotides nominaſſe; quanquam non ſemper Parotidi ipſi, ſed partibus vicinis, praeſertim glandulis lymphaticis ſaepe fuerint tribuendi. Omnis, quam habebant, notio in illo conſiſtit, quod ſaepius tumores criticos vel metaſtaſes ibi ortas viderint easque vel cataplaſmatibus vel remediis internis curare tentauerint. Sed de maximo & periculoſiſſimo illius morbo, de ſcirrho nullum certum nouere remedium, cum chirurgia apud illos non ad tantum perfectionis gradum eleuata fuiſſet, quo hodiernis temporibus gaudet. Deſcriptis nunc breuiter omnibus Parotidis morbis, praeſertim de ſcirrho eiusque cura agam.

Primum diuidendos eſſe morbos puto in idiopathicos & in ſympathicos.

Idiopathicus morbus eſt, qui ſine praegraeſſa vlla affectione notabili tanquam cauſa efficitur.

Sympathicus, qui alicui morbo originem ſuam debet.

Fit Parotis ſymptomatice morboſa, ſi in cruditate morbi ſuperuenit, vnde morbus magis augetur, atque eius euentus fit dubius.

*) HELVETIVS Memoires de l'academie royal des ſciences 1719 hiſtoriam militis, cui ductus excretorius huius glandulae diremtus erat, profert, ex qua concludi poteſt, quanta ſit huius humoris copia.

bius. Critice vero, ſi ſymptomata apparente tumore leuantur, morbusque minuitur, cum materia morbifica ad hunc locum depoſita alias functiones amplius turbare haud poſſit.

Horum tumorum & ſymptomaticorum & criticorum multa proſtant exempla. Vid. RAMAZZINI, VOGEL, BANG, BVRSERIVS &c.

Alia adhuc diuiſio patet
in acutos & chronicos Parotidis.

Chronica eius affectio per hebdomades, menſes, imo annos decurrit, mox maioribus mox minoribus ſymptomatibus comitata; lente id genus procedit: HIPPOCRATES eius iam meminit, quod ſicut lenta intumeſcentia in ſua geneſi, ſic ſatis colore quoque tumorem oedematoſum mentiri ſolet, inprimis huc ſpectat Parotis ſcirrhoſa & ſcrophuloſa. *Acuta* vocatur, dum breuis eius decurſus eſt, ad paucos ſolum dies protractus, & in bonum aut malum exitum breui terminatus. Nihilo tamen ſecius non omnis bona breuiter tollitur, cum ſaepe relinquat ſuppurationes, vlcera diu rebellia.

Saepiſſime ab inflammatione correptas fuiſſe Parotides, multis & priſcae & huius aetatis medicis nunquam non latuit, id, quod & idiopathice aut ſymptomatice vt ex alio morbo productum euenit.

Semper diatheſin quandam phlogiſticam ſanguinis inflammatio ſi oritur, adeſſe neceſſe eſt, quae ob tardum humorum in glandula circuitum facile hoc in loco ſedem ſuam ponere poteſt; quae ſi non plane reſoluitur, in ſuppurationem aut gangraenam, aut tandem in indurationem ſiue ſcirrhum abit. Plerumque in

ſup-

ſuppuratoria tota conſumitur glandula, vt in cadauere vidi. Sed gangraenae exitus periculis maxime expoſitus eſt, licet rariſſime & nonniſi alio maligno morbo ſuperueniente accidere ſoleat.

Inflammatione vero haud ſoluta aut ex nimia humorum viſcoſitate ac denſitate aut ex neglectis remediis ſcirrhus oritur, tumore duro, indolente, cuti concolori.

Ex illa ſuperius allata cauſa, nempe ex viſcoſitate humorum nonnunquam etiam oritnr obſtructio ductus ſaliualis, quo fit, vt vt omnis, quam ſecernit glandula, ſaliua accumuletur in illa, itaque tumorem facit durum, ſcirrho non abſimilem, tamen ex minore duritie & ex celeriore prouentu dignoſcendum.

Frequenter etiam Parotidis tumores produci ex aliis morbis, ſatis iam elucet. In his nonnunquam latentis malignitatis indices, nonnunquam etiam iudicatoriae ſunt. Fatum denuntiant, ſi aegrum non iuuant & ſub increſcente aut conſiſtente morbo apparent. Iudicatoriae vero, quae morbo vel decreſcente vel praegreſſis coctionis ſignis ſine dolore ac rubore multo, die critico, mediocriter tument matureſcunt & ſuppurant. Peſſimae ſunt, quae morbo adhuc vigente ac ne minimum quidem miteſcente apparent, fere ſemper enim lethales. Quae cum doloribus in febre exoriuntur, non reſident neque ſuppurant, has ſoluit larga haemorrhagia diarrhoea bilioſa, copioſa, dyſſenteria, ſudor, ſedimentum vrinarum craſſarum, abſceſſus ad articulos & aliae egeſtiones: quae vero ſubito aegri viribus fractis euaneſcunt, poſt logarem & rigorem peſſima mala aut mortem ipſam adducunt; nam tum morbus recrudeſcit & aeque concitatus continuat.

In acutis praesertim, & quidem in malignis febribus frequentissime oriri videmus Parotidis tumores nonnunquam quasi epidemice solam febrium putridarum egestionem criticam efficiunt.

Tumores vero Parotidis non solum respectu morbi, cuius in decursu existunt, sed etiam partium adiacentium causa considerandi veniunt. *) Nam inflammata quandoque ita premit venam iugularem, vt homo quasi suspensus vel strangulatus pereat, praesertim si in vtroque latere est aut sub suppuratione a pure in vicina vasa lymphatica resorpto angina producitur periculosa. Sunt & certa phaenomena, quae tumorem Parotidis praecedenti morbo superuenturum indicant, quae HIPPOCRATEM **) iam non latuere: sic ille ex aluina depositione illum praedicere potuit. Praecipua illorum sunt sequentia: horror, capitis dolor, bombilus aurium, coma, surditas, hypochondria dura, tensa, tumida, convulsiui motus cum alto stupore, si venae micent in temporibus, faciesque si turgidula fuerit cum pallore, nisi hoc in casu vrina vindicet multa crassa.

De prognosi ac cura tumorum morbis accessorum nil adducam, quam remedia topica non quidem nil iuvare, sed etiam nocere, inde naturae committendos esse, donec aut resoluantur, aut si in suppurationem transierint & abscessus ortus aperiantur. Illam methodum, quam aliqui suadent, imponere his tumoribus cataplasmata emollientia, reprobant maximi medici: nam saepius non solum non adducitur materies morbosa, sed quoque iam quodammodo

*) MORGAGNI de sedibus & causis morborum Epist. 4. n. 24. apoplexiam refert ab infarctis vasis indeque sequente extrauasatione.

**) L. Coac. n. 606.

modo depoſita reſoluitur, ſanguini iterum commiſcetur, morsque ita acceleratur. Id certe tunc fieri ſolet, ſi vtroque in latere tumor oboritur, neque hoc in caſu aliud quid praeſto eſt, quam validae deriuationes & copioſae euacuationes, e. g. cantharides in braechiis ſurisque, diu manantes & puluis quidam eccoprotico-tonicus.

DE SCIRRHO.

De ſententiis quibusdam veterum ac recentiorum ſcriptorum.

Multa inuenimus, quae a variis autoribus de hoc morbo congeſta ſunt, magnisque voluminibus inſerta, raro vero accuratius perſcrutanti aliquid boni certique obuenit. Antiquiſſimus omnium Hippocrates ſententiam ſuam de ſcirrho ita exponit, vt tuberculum durum minus vel maius, minime ſuppurans ſed ſemper durius euadens, ita vt tandem lapidis duritiem aequat, cuius ſedem praeſertim in mammis, liene & hepate ponit, & cauſam in obſtructis foeminarum menſibus poſitas credit, ad curationem vero vteri reſerationem & menſium promotionem indigitat. *Inflammationem male terminatam pro cauſa* ſcirrhi agnoſci Aretaeus *), & de eius curatione monet; orientes auertendos & nuper incipientes diſcutiendos eſſe; licet alio loco, ignem ad moliendam duritiem aut irrigationes ex aceto, oleo & melle &c. adhibendas ſuadeat.

Galenvs **) vero accuratius & maiori cum ſtudio perſcrutans hanc nobis tradidit deſcriptionem:

 Scir-

*) De morbis diuturnis L. I. Cap. XIII — XIV.

**) Comm. IV. in libr. de ratione vict. in morb. acutis.

Scirrhum vocat tumorem renitentem & doloris expertem. Diſtinguit in non exquiſitum & exquiſitum. Illum eſſe ſine dolore quidem, non tamen ſine ſenſu quodam, hunc vero omni carere ſenſu. Multarum corporis partium ſedem ſtatuit, cerebrum tamen & pulmones haud affici poſſe exiſtimat.

Ortum eius deducit ex humore viſcido, craſſo, frigido, ſiue foece ſanguinis, partibus induratis tenaciſſime & pene inſolubiliter infixa; quae ſunt vel atra bilis vel pituita. Ad curationem emollientia & diſcuſſoria ſuadet, quae calefaciunt & exſiccant, licet non ita magno gradu. Refert inter haec Bdellium, Ammoniacum, Thymiama ſolutum in acerrimo aceto, Opoponax &c. Candentem quoque pyritem ſenſim ſenſimque applicari vult. In ſcirrho ab atra bile orto diſſuadet omnem emollientium vſum, quippe quae ſecius exacerbeſcunt, quam reſolvunt.

In omnibus vſque ad Fabr. Hildanvm de hac materia tractantibus ſcriptoribus nil noui inuenimus, omnes enim Galeni ſententiam ſequuntur, qua de cauſa hos omnes omittam, & ad magni Fabr. Hildani *) deſcriptionem enumerandam me conuertam, qui in obſeruationibus & epiſtolis ſuis chirurgico-medicis in reſponſione quadam ait: duplex eſſe venenum in ſcirrhis. Vnum videlicet putrefactivum, alterum corroſivum. Quapropter ſi calida ac humida, quae pus in vlceribus promoueri ſolent, adhibeantur, in putredinem degenerabit materia contenta, vicinasque partes putredine contaminabit. Quod ſi illam cruditatem cauſtico aut medicamento aliquo acri caſtigare volueris, ſurget alterum, quod ineſt, venenum. Non eſt igitur irritandus affectus neque emol-

*) Centur. 6. obſeru. 75.

emolliendus. In extirpatione iam omnem ponit ſpem ſuam: Vnguenta tamen aliqua ſi cancri occulti ſigna apparent, commendat. VESALIVS nihil in chirurgia ſua magna apponit, quod diuerſum ſit a ſententia veterum.

AMBROSIVS PARAEVS quatuor diuerſas ſcirrhi ſpecies proponit, 1) exquiſitum, durum indolentem, ſenſus aliqua moleſtia afficientem ex naturali melancholia ortum, 2) non exquiſitum, cuius mater nimia reſolutio aut refrigeratio, 3) cancroſum, aduſtione & corruptela humorum natum, 4) Scirrhum ex melancholia cum aliis humoribus permixta, originem trahentem: vnde ſcirrhi phlegmonodes aliaeque coniunctiones ac permixtiones naſcuntur. Inter alia ad eius reſolutionem conuenientia etiam emplaſtrum de Vigone cum mercurio duplicato commendat.

Multis quidem nunc verbis ſcirrhi naturam explicare ſtuduit ETTMVLLER in chirurg. med. Art. III. n. 3., vbi ita argumentatur:

,, Naſcitur ex coagulatione aut ſanguinis aut chyli crudioris aut ,, vtriusque ſimul. Ex ſanguine coagulato, quando inflammationibus male tractatis, imprimis per repellentia adſtringentia ſuperuenit. Ex chylo crudo & viſcido cum ſanguine ſine inde ,, diſtributo, vel etiam cum alieno vehiculo, qua ratione oedemata epithematis nimis valide diſcutientibus tractata in ſcirrhum degenerare ſolent. Quo pertinet tumor mammarum ex lacte ,, coagulato, qui & ipſe interdum ſcirrheſcit & tandem tam durum ,, ſcirrhum quam ſcrophulam generat. Interdum ſimul & ſanguis & ,, talis chylus viſcidus per poros partium in ſpecie viſcerum transeundo ſucceſſiue haeret, congeritur & coaceruatur, idque ,, coagulatur in talem ſcirrhum authore acido praeternaturali aut

,, ni-

„ nimio aut fixo aut auſtero aut alio ſimili vitiato, dictam mate-
„ riam coagulante.

Scirrhum imprimis inueteratum fere inſanabilem eſſe tamen in eius reſolutione duas locum habere indicationes contendit. 1) acidum coagulans eſt temperandum, 2) durities ſubnata emollienda. Hanc in finem reſoluentia fortiora, diſcutientibus moderatis nec adeo acribus permixta praeſcribit, qualia ſunt, quae praeparari & componi poſſunt ex Naſturtio, Eryſimo, Cochlearia, Eruca, Cicuta, Mandragora, Nicotiana, Scrophularia, Cucumere, Aſinino, inprimis ſub forma emplaſtri ſucculenti vel cataplaſmatis, donec tumor ſcirrhoſus emolleſcat, applicata. Huc etiam adducit ſtercus bubulum in aceto incoctum, oleum lumbricorum terreſtrium parua olei deſtillati Tartari quantitate mixtum, ſpiritu vini dilutum, quibus dein etiam gummata reſoluentia & mercurialia addit. Reſolutione non impetrata tandem maturatio procuranda venit. Quae temperatis tamen, ſed nonnihil acrioribus, quam in inflammationibus fieri ſolet, non tamen nimis oleoſis nec mucilaginoſis remediis, alcali quidem, ſed temperato, conſtantibus, efficiatur. Scirrhum autem ſub maturatione facile in cancrum tranſire monet.

Scirrhus dolens & cum malignitatis ſignis in ſubiecto ad ſenectutem vergente vel intactus omnino eſt relinquendus, vel applicatione nitri in aceto diſſoluti in lapideam duritiem indurandus.

Diuerſae ſunt multorum ſcriptorum de hoc morbo ſententiae, diuerſae ſunt eorum rationes ad ſtabiliendam opinionem allatae, diuerſae ſunt quoque plurimorum medendi methodi. Qui ex ſpiſſis, denſis, atrabilariis humoribus cauſam deriuat, prae-

ſertim

ſertim exercitationem corporis ſuadet, vtut triſtitiam, iram, curam, lucubrationes nocturnas, ſomnum nimis longum &c. vetat. Quique a pituita illius ortum trahit, is reſoluentia fortiora adhibet. Praeterire tamen non poſſum, quae FR. HOFFMANNVS in Medic. ration. ſyſtem. Tom. IV. P. V. cap. VI. de hac materia ſcripſit; obſidere ſtatuit ſcirrhum glanduloſas partes, inter quas proſtatas ſpecialiter enumerat, eiusque cauſam proximam eſſe materiam ſtagnantem, inſpiſſatam & coagulatam. Inter remotas cauſas recenſet imprimis animi pathemata, vti ſunt diuturnus moeror, acerba triſtitia, vel etiam terror inopinato excitatus; dein etiam haereditariam adiungit labem. In curatione monet externe; oleoſa, pinguia, emollientia, corroſiua acria, ſpirituoſa volatilia, quae omnia medicamenta ſaepius & multoties ab antiquis fuerant laudata, malum plerumque exaſperare & citius interficere. Ex propria ſua experientia ſimplex mylii in lacte cocti cataplaſma pluribus linteaminibus inuolutum, locus affectus ab omni humido liber vt maneat, magnis extollit laudibus. Poſtremo thermarum Carolinarum vſum commendat. In ſexu ſequiori addit, ſcirrhum nonniſi tempore fluxus menſtruorum terminati, in cancrum moveri, quia tum plurimae fiant cachecticae, earumque ſanguis retentione illius, quod antea emanauit, corrumpatur. BOERHAVII ſententiam de cauſa ſcirrhi proxima diuerſam ab illa FR. HOFFMANNI non inuenimus. Inter remotas vero cauſas nominat inflammationes, anthraces, bubones, vlcus praemature clauſum, ceſſationem fluxus menſtruorum aut alterius habitualis fluxus ſanguinis. Scirrhi reſolutionem admittit per inflammationem aut ſuppurationem proprie dictam, neutiquam, niſi ad vaſa vicina & ſcirrhi

margi-

margines. Vt vero resolui possit, eum esse recentem benignum, nondum perfecte durum, locoque idoneo situm & praecipue in homine euchymo postulat. Hunc in finem medicamenta emollientia & resoluentia commendat. Magni aestimantur ideo fumi acidi, neque minoris authoritatis mercurius. Ceterum in scirrho maligno inueterato emollientia, suppurantia, rodentia, caustica mala declarat: sola tum anodyna, motum sedantia, saturnina, mercurialia, blanda conuenire docet.

Cum magno BOERHAVIO etiam HEISTER *) consentit, scirrhum quartum inflammationis exitum nuncupans, cuius originem ita describit: „Quodsi autem in isto membro copiosiores glandulae „(de parte inflammata loquitur) sanguis percrassus, inspissatus „est ac glutinosus, tum ita vehementer vascula sanguifera cum „sanguine glutinosiori coaguntur & compinguntur, vt ipsum „tandem membrum penitus amisso sensu in tumorem aliquem durissimum, quem scirrhum medici dicunt, conuertatur."

Glandulas ordinariam esse sedem scirrhi, in aliis tamen partibus & praesertim in pinguedine oriri quoque posse statuit. Praeter primam, quam iam attuli, causam, nempe inflammationem, etiam humores crassos, glutinosos, sanguinem melancholicum, inter causas externas ictum, lapsum &c. admittit.

Nominat scirrhum tumorem duriorem sine omni calore, rubore ac dolore; quem ceterum in iunioribus, habituque corporis firmiori praeditis hominibus longe plerumque tutiorem ac tractabiliorem esse quam in aetate prouectis: & imprimis glandulas in-

dura-

*) Institut. chirurg. Tom. I. P. I. L. 4. c. 2.

duratas circa collum in pueris, ceteroquin ſanis raro aliquod damnum inferre atque vltra pubertatis annos vix durare. In valetudinariis vero aut vbi luis venereae ſuſpicio eſt, eos maioris eſſe momenti exiſtimat. In vniuerſum illud inſinuat, ſcirrhorum per medicamenta curationem ſemper fere difficillimam eſſe. Vbi de curatione agit, ab inueterato ſcirrho abſtinere iubet. Quo vero loco curatio per reſolutionem conueniat, hisce verbis, quam cautiſſime definit. Si ſcirrhus recentior, & absque inſigni dolore paullo mollis ac mobilis adhuc deprehenditur, ſi ſatis firmus hominis afflicti habitus eſt, haud prorſus alienum videtur per adhibita medicamenta digerentia & interna & externa, partis eiusmodi adſtrictae reſolutionem ſuſcipere. Atque interna quidem medicamenta, lignorum ſcilicet decocta, eſſentiae item vel tincturae digerentes vna cum remediis mercurialibus lenioribus, ſubindeque interpoſitis laxantibus ad craſſos atque inſpiſſatos humores reſoluendos non parui ſolent eſſe valoris. Varia deinde medicamenta reſoluentia externa proponit ex gummatibus reſoluentibus, ex radicibus Bryoniae Ariſtolochiae &c. herbis ſimilium virtutum, ſub forma emplaſtri cataplaſmatis & fomenti, dum aceto incoquuntur, applicanda. Vapores acidos aceti ſulphuris vel cinnabaris, ſi debitis cum cautelis adhibeantur, multum praeſtare exiſtimat, ſicut imprimis etiam mercurialia variis modis parata & applicata. Scirrhi autem inueterati palliationem per remedia ex ſaturno & mercurio, praeprimis praeparata ſuadet.

Plura adhuc proſtant ſcripta, quae de ſcirrho agunt, quae cum in illis multa haud inueniam ab aliis ſententiis admodum diuerſa, omittam; propoſiti enim mei non eſt, omnes antiquae & me-

diae aetatis medicorum opiniones afferre, ſed quasdam eorum annotaſſe ſufficiat. Seligam potius, quid recentiores & arte & experientia inclyti hac de re congeſſerint. Primus mihi obuenit KALTSCHMIDIVS, qui in diſſertatione de ſcirrho hunc tumorem durum, indolentem, plerumque glandulas obſidentem ex pertinaci prouenientem obſtructione deſcribit. Cur praeſertim in glandulis locum habeat, has affert cauſas:

1) Quia in omnibus glandulis ob vaſorum anguſtiam humorum illas permanantium circuitus facile impeditur,

2) Quia vaſa natura ſua debilia & tenuia humoribus affluentibus debitam reſiſtentiam exhibere non poſſunt, inde eorum extenuatio, ruptura & tandem tumor.

3) Quia in omnibus glandulis multum adeſt ſeri craſſae ac tenacis indoles, quod aquoſis partibus euolutis craſſisque remanentibus obſtructionum cauſa eſſe poteſt.

Scirrhus vt diſtingui poſſit ab aliis tumoribus, eo potiſſimum reſpici vult, vt nullo alio coniunctus morbo, ex quo originem ducere poſſit, ortus ſit. Ita ſiquis gaudet blenorrhagia, bubonesque in inguinibus apparentes, ſcirrhos eſſe non putandum, quia blenorrhagia curata etiam bubones diſparent, aut certe curationem celerem admittunt.

Scirrhi originem aut ex inflammatione praegreſſa aut ex vitio fluidarum ſiue ſolidarum corporis partium deducit. Inflammationem, ſi neque in ſuppurationem abit, neque reſoluitur, facile ſcirrhum producere poſſe aſſerit, liquidis enim partibus euaſis, craſſioribusque accumulatis obſtructio oritur, quam ſequitur tumor ſcirrhoſus.

Ex

Ex fluidorum aut nimis copiose agestorum aut in miscela sua corruptorum vitio nasci potest scirrhus. In primo casu nimia in copia ad glandulas manant, quas implent, infarciunt, tumoremque ita durum sine dolore efficiunt. In secundo casu nimis tenaces condensantur vasaque angusta obstruunt aut nimis acres ea irritant & contrahunt.

Solida efficere possunt scirrhum, si eorum vis resistentiae imminuta est. Id quod fit;

1) Per violentiam externam e. g. si glandula premitur.

2) Si ab incunabulis iam debilia, sunt nonnulli homines, qui debilibus praediti glandulis ad obstructiones earum proni sunt.

3) Si antea loco affecto emollientia applicata fuerint.

Proximam scirrhi causam esse obstructionem, remotam vero viscositatem humorum, remotiores vero omnes, quae ad hanc generandam contribuere possunt.

Ad has vltimas referri debent:

Res sic dictae non naturales, naturales & praeternaturales.

Inter res non naturales remotior causa esse potest nimis calidus vel nimis frigidus aer. Euolant nempe aere vrente fluidae partes, remanentesque viscosae obstructiones faciunt. Aere vero frigidissimo perspiratio si supprimitur, partes in sanguine remanent impurae, gignitur piruitae copia magna, inde obstructiones. Nimia ingestorum ciborum copia frequentius impuritates ac saburrae primarum viarum cient, quae sanguine commixtae ad tenacitatem causam dant, praesertim si adhuc crudae acidae tenacisque indolis sunt cibi, condensant humores, contrahunt vasa.

 Eodem

Eodem quoque modo potus agunt ſpirituoſi. Motu autem & quiete nimis conuenientem gradum excedente, & ſiquae ſecernuntur, non excernuntur, aut nimis copioſe excernuntur, ſcirrhus oriri poteſt, vtut etiam animi pathemata id efficere poſſunt.

Inter res naturales eae, per quas ſanguis denſus fit & vaſa obſtruuntur, ad ſcirrhum occaſionem praebent. Huc referenda ſunt temperamenta cholerica, melancholica, phlegmatica, vita valde laborioſa aut ſedentaria, aetas virilis & ſexus ſequior.

Res praeternaturales ad generandum ſcirrhum cauſae eſſe poſſunt remotiores. Omne id nocere poteſt, quod ſanguinis maſſam nimis tenuem facit, vaſa comprimit, vt e. g. inflammatio praegreſſa, alii tumores. Nam ſi alius adeſt tumor, comprimit ille vaſa vicina, impedit ideo curſum eorum liberum, cauſat obſtructionem, & nouorum tumorum occaſionem dat. Agnoſcitur vero ſcirrhus ex duro, plerumque mobili & in principio dolenti tumore, qui vero breui neque reſoluitur, neque in ſuppurationem abit, ſed ſenſim ſenſimque magis indureſcit. Nunquam eſt ſine periculo, praeſertim ſi in parte quadam nobili ſedem ſuam habet. Nam cum medicamentis non immediate eſt ſemper aggrediendus, & non ſemper ferrum eſt applicandum. Si vero externa in parte corporis haeret, & ſi diaeta congrua obſeruatur, ſaepius per longum tempus ſine aliquo diſcrimine adeſt, quia ſemper extirpatio eius locum habere poteſt. Multis vero ſoluentibus & emollientibus tractatus facile in ſuppurationem & cancrum abit. Quo diutior durat, eo grauior eius cura, & eo certior, ſi non extirpatur, eius tranſitus in cancrum. Cura interna ad diluendos humores & ad reſoluendas obſtructiones ſpectat. Internis iungimus externa. Idoneum

eſt,

est, imprimis simplicem spiritum vini, aut loco huius spiritum vini camphoratum & crocatum cum fasciis saepius applicare. Emplastra resoluentia e. gr. emplastrum diasaponis, de gummi ammoniaco, de cicuta, diaphoretico Mynsichti, diachylon cum mercurio, de melillotto, de ranis, vigonis cum mercurio superimponitur, illinitur quoque locus affectus cum calido capparum oleo aut vnguento de althea. Folliculi cum herbis & floribus resoluentibus impleti etiam sua praestare possunt. Fumigationes acidas quidam laudant, saepe etiam vtilitatem attulerunt, imprimis vero cum vsu internorum, ex quo partes circumiacentes ita in suppurationem transiere, vt scirrhus per se exciderit. Pertinacem nunc contra omnia tum interne tum externe applicata remedia extirpare debemus. Ne scirrhus, cuius extirpatio fieri non potest, in cancrum transeat, hae sunt obseruandae regulae.

1) Nunquam cum externis solum eius curatio incipienda est, siquidem humores meliores non reddunt.
2) Cum fortibus resoluentibus nunquam incipiendum, sed cum lenibus, ex quibus sensim sensimque.
3) Periculosum est, cum emollientibus & resoluentibus externis scirrhum vt alios tumores aggredi. Augent enim affluxum humorum, quae scirrhum promouent & celerius in cancrum commutent.

Deinde, si iam cancer apparet occultus, celer extirpatio eius optimum est remedium. Haec sunt, quae KALTSCHMIDIVS & multi alii hoc de morbo cogitauere. Quid vero est, cur plures siue omnium adducam sententias & fuco quodam quasi litterario splendorem praebere coner; sectentur id alii, mei nunc instituti est,

quo

quae ex magnis magiſtris in ſcientiam collegi, exponere & totam ſcirrhi Parotidis tractationem & curam delineare.

DE SCIRRHO PAROTIDIS.

Scirrhus eſt induratio glandulae Parotidis. Apparet primo vt parvum ciceris nodulum, durum & mobile ſemper vero durius maiusque euadens. In decurſu ſuo fit inaequalis, angulatus, plerumque tamen magis rotunda quam alia gaudet figura. Ex germine quaſi ſemper increſcit, non coagmento aliarum indurationum augetur. Oritur, ſi lympha ſanguinis, morboſa vaſorum actione immutata, quae interdum in his ipſis, interdum iu tela celluloſa recepta eſt ſtagnatque, in polypoſam ac calloſam degenerat duritiem, cum ſuperficie ambientium membranarum ac canalium concreſcit, cauitates opplet, infarcit, humorumque in illis ac in vicinis partibus circulationem aut omnem delet aut ſaltem magna ex parte remoratur. Quae vt fierent, multae occaſionem praebere poſſunt cauſae, e. g. acrimoniae arthriticae, ſcrophuloſae venereae, excretiones morbique cutis ſuppreſſi, atra bilis, animi pathemata e. g. moeror, triſtitia, curae &c. habitus corporis nimis ſenſibilis, metaſtaſis in ſuppurationem non abiens, temperies melancholica, vita ſedentaria, ſterilitas foeminarum, in genere vero debilitas, ſpaſmi, ſpiſſitudo humorum &c. Inter externas cauſas referre poſſumus contuſiones vehementes, preſſiones diuturnas &c.

Viſceris hoc modo indurati nativus calor ſenſusque perit & actio organica vel cum aucto eiusdem volumine vel contracta in paruam duramque molem natura ſubilaminatur. Interim & gradus indurationis & effectus glandulae ipſius materiam recludentis & niſus

nifus ftagnantis vel fimplicis vel acredine mixtae lymphae in corruptionem valde variant. Tamen ex multis elucet obferuationibus, materiam ad glandulas delitefcentem, fcirrhumque producentem ad carcinoma imprimis promptiorem effe, quod tamen rariffime ex praegreffa inflammatione oritur, quippe cum indurationum partium internarum e. g. lienis, hepatis, glandularum mefaraicarum naturam tam malignam non videamus. Caufam vero indurationis in Parotide ab inflammatione correpta faepe in laxa ac fpongiofa ipfius fubftantia, in languore febris, aut reactionis in Parotide ipfa febrilis per nimias venaefectiones proftratae vel in incauto adftringentium externo vfu, vel denique in incognito lymphae in concretiones nifu pofitam inuenimus. Cuius cura, — fuppono morbum diu nondum duraffe, quo in cafu nil quam ferrum iuvat — efficitur nunc prompte fatis nunc artis nullo auxilio vnquam. Id, quod ex vario lymphae, in cellulofa ac in fpongiofo glandulae parenchymate, coagulo & ex intimiori fingularum partium coagmento explicandum eft. Nam vaforum compage vbique in his partibus folidefcente neque fanguinis circulus neque foluentis actio remedii admittitur, taudem deleta neruorum fenfibilitate quafi calli fiftitur imago.

In minori fpiffitudinis ac duritiei gradu excitata per refoluentia vitalitate ac energia, fi quaedam adhuc fupereft, vel nouae inflammationis beneficio, ftagnantis materiae diuifio vel fufio purulenta fenfim fenfimque impetratur, eiusdemque in circulationem obtinetur reductio. Quem in finem, externis quidem, tum aquae vel aceti tum animalis recenter mactati vel aromatici decocti vapor aut fomentatio longa, frequens balneum, vfus faponacei liquidi

vel

vel thermalis aquae ex alto cadentis, vel mercurii illiniti loco opportuno, quo lymphatica vasa eundem recipere & ad glandulam obstructam perducere queant: lenis partis assidua frictio, irritatio adhibentur. Interne remedia antimonialia, mercurialia, tartari emetici saliumque mediarum refractae doses, cicuta & demum nouissimum laudatum remedium terra ponderosa salita. Eorum omnium vero vsus valde suspiciosus est atque incertus, cum cognita quoque morbi causa, non solum non iuvent sed saepissime etiam nimia humorum resolutione noceant. Omnino tamen reiicienda esse, non contendo; multae enim multorum scriptorum obseruationes nos de eorum vsu in quibusdam casibus persuadent. Scirrhum diu iam durantem & quasi inueteratum remediis excitare ac vexare, periculosum valde est, nam saepissime sub eorum vsu illum per annos quietum a specifica materia, prorsus aliena a naturali succorum conditione correptum fuisse scimus, quae vero materia an propria in parte scirrhosa elaboratione secernatur, aut in corpore iam diu haesitauerit, nescio. Nonnunquam vero in illis tumoribus scirrhosis, qui ex obstructo ductu stenoniano ortum traxerunt, praeter remedia soluentia chirurgiae quoque manualis opus est, si nempe per cereolos nunc simplices nunc compositos vel per spongiam praeparatam dilatatur ductus, gignitur tum aliquo modo subsidium, auffertur coarctatio, pristinaque excretionis restituitur libertas. Difficillimum autem esse, huius ductus ostiolum in buccarum superficie interna inuenire, neminem fugit.

Quam difficile sit, scirrhum ab aliis tumoribus, e. g. a sarcomate, a tumore folliculoso, a scrophulis discernere, probe constat. Sunt magnis imbuti scientiis viri, quos in his scientia

fefel-

fefellit, quia tactus eruditi cuiusdam expertes erant. Id quod nouiſſime quidem accidit, cum multi magnae doctrinae viri tumorem folliculoſum in vicinitate Parotidis glandulae ortum, inſigni magnitudine, quod ſcirrhum eſſe, opinati eſſent, quem vero Praeceptor meus omni qua par eſt pietate venerandus ſtatim agnouit, aegramque operatione feliciter peracta intra parvum tempus reſtituit.

Cum igitur notum ſit, haud magnam eſſe medelae ſpem in adhibendis medicamentis, & cum ſcirrhi nimia vexatio transmutationis in cancroſum vlcus iuſtiſſimum timorem moueat, cum ex preſſis ad cerebrum tendentibus vaſis, quorum diameter ſemper nunc augeatur, nunc minuatur, & ex immobilitate aut certe ex minus liberiore maxillae inferioris motu, ex preſſo larynge & pharynge deglutitionis ac reſpirationis diſcrimina oriantur, ſuadenda eſt iterum atque iterum extirpatio, quae quamuis ab autoribus valde perniorioſa ancepsque deſcribitur, melius ac tutius tamen eſt vnicum remedium quam nullum.

Quas quidem difficultates in exſcindendo omnes omnium aetatum prudentes medici bene ſentientes, operationem maximopere diſuaſerunt & nuperrime quoque anatomicorum celeberrimus huius glandulae extirpationem carotidis ſectionem nominauit. Vnde euenit, vt periculi timore capti ad hanc adiuerint operationem perpauci, licet ex altera parte fuerint ignari angiologiae, qui audaci cum manu quandoque auſi ſint; tumorem lanceola pertundere, ſanguine vero pro pure quod exſpectabant effluente ſuae aegrotum ſorti commiſerunt; tale exemplum nobis profert Cl. Siebold in diario ſuo chirurgico Obſeru. 73. p. 140. aliud in Commercio liter. de anno 1733 p. 61. relatum legimus. Sed quamuis arcta ſit

cohaesio glandulae cum vasis arteriosis, vt non operatione subtilissima ab his secerni possit, quamuis ideo magnum in operatione adit periculum, quamuis saepius magna sanguinis profusio suborta, reiici tamen prorsus non potest, praecipue cum legamus historias Parotidum feliciter extirpatarum in N. A. Ph. M. N. L. Tom. III. p. 56. Tom. VII. p. 1. in commentatione SCHMIDTII M. D. de tumoribus colli magnis &c. Brunsuici 1755.

ACREL chirurgische Vorfälle übersetzt von Murray. Gött. 1777. p. 214.

ALIX Obseruata chirurgica Fasc. I. Altenb. 1774. Obseru. 15. p. 69.

PALFIN Anatom. chirurgic. ou description exacte des parties du corps humain avec des remarqs vtiles &c. Tom. II. Paris 1753.

Inter nouissima, quae exstant, exempla parotidum excissarum pertinet historia parotidis scirrhosae feliciter extirpatae a dexterrimo Germanorum chirurgo SIEBOLD, quam anno 1781 academiae Erfurtensi, cuius socius est, proposuit. Inde ad operationis mediante ferro descriptionem peruenio. Qua in operatione eo potissimum respiciendum est, vt si qua vasis infligantur vulnera, sanguinis profusio statim impediatur. Filis vero & acuminibus, vt quae optime sanguinem retinent, raro aliquid efficiendum est, quia locus iis applicandis non conuenit & vehemens sanguinis protrusio non concedat, canalis orificium inuenire. Eodem modo solis confidere stypticis non possumus; nam in hisce ramis ob cordis vicinitatem talis sangninis impulsus est, vt neque styptica, neque cauterium crustam efficere possint, neruorumque copia simul euenit, vt in perniciem potius & detrimentum euadant. Superest ergo haud aliud remedium, quam compressio & spongia, qua

ACREL

Acrel primo vſus eſt, cera praeparata, quae fruſtiilatim in caueam immiſſa imponitur ſanguinis vndae, tota vero haec regio linteo carpto ſubtilliſſimo, ſpleniis & faſciis circumdetur & comprimatur. Qui vero hanc comprimendi methodum ignorat, & qui eam in paruis ſanguinis fluxibus negligere ſolitus eſt, nunquam capere poterit, quo fieri modo poſſit, vt haec operatio peragatur. Praeter haec lintei carpti magna copia, partim ad comprimendum, partim ad obtegendum vulnus adſit, ſplenia ſex aut octo, quadrata, quorum quodque ſingulum ſemper maiori gaudet volumine altero, & quorum minimum vulneris magnitudine aequare non licet, quia illa tunc labia ſolum vulneris & non, quibus proprie dicantur, arterias comprimunt. Reliquus apparatus loco & operationi accommodetur. Omnibus hac ratione ad operationem neceſſariis paratis, miniſtroque traditis, aeger ipſe leni euacuante & diaeta praeparatus in ſella commoda ſic deponitur, vt ab aduerſo lumine colluſtretur & firmiter quoad caput & manus a miniſtris comprehendi poſſit. Tum a chirugo, in maiori ſella ſedente cum ſcalpello aut vt Cl. Siebold conſueuit, cum Biſtouri, panno ita obuoluto, vt niſi tertia illius pars libera ſit, inciſio fit vel oblonge, vel decuſſatim, vel elliptice, vtvt formae & habitui tumoris conuenit. Cutem cauſticis forma H. impoſitis a tumore alii ſeparauere, ſed cum citius conſolidari vulnus neceſſe ſit, omni quo fieri poteſt modo, cuti parcere debemus *). Integumentis igitur diſciſſis, labiisque per miniſtrum amotis vel hamulo in glandulam ſcirrhoſam impreſſo

 vel

*) Illud imprimis in ipſa operatione attendendum eſt, vt poſt malam ſiue poſt angulum maxillae inferioris vulnus infligatur, ne ſcilicet in ipſo vultu poſtea cicatrix ſit conſpicua.

vel acu triquetra inſtructa filo cerato per glandulam ducta & remota dein acu vtroque fili extremo in nodum collecto, pro manubrio in attollendo ſcirrho vtitur chirurgus, ipſum tumorem modeſte ſurſum trahens & ita ſuperiore in parte circa tempora incipit diſſoluendo ſemper verſus inferiora & interiora, idque ideo obſeruandum eſt, quia inferiore in parte ex pluribus maioribus & magis abſconditis vaſis ibidem ſerpentibus vulneratis tanta oriri poteſt ſanguinis effuſio, ut operatio ipſa impediatur, ac re non impetrata omnino intermitti debeat. Minora, quae perſcinduntur, vaſa miniſtri aut ſolis digitis aut carpto linteo, tincto in ſpiritu vini rectificatiſſimo obiecta premendo claudantur. Extirpato hac ratione tumore denudatae ſunt & integumentis externis privatae maxima eaque ſuperior Maſſeteris pars, oſſi zygomatico adnexa & venter digaſtrici muſculi poſterior, apophyſis ſtyloidea cum puncto fixo muſculorum ſtylohyoidei & ſtylogloſſi, pars poſterior glandulae maxillaris, quae Parotidi vicina & annexa eſt, meatus cartilaginei anterior oſſeo nexa, pars maxillae inferioris & pars ligamenti capſularis condyloideae maxillam cum oſſis temporis cauo glenoideo iungendis. Nudae ſunt adhuc diſtributiones arteriae carotidis, diſſecantur in ipſa operatione arteriae in glandulam meantes, nerui ſuper & per glandulam transeuntes e. g. neruus ceruicalis, qui ad aurem externam tranſit, alii rami neruei ex ſeptimi paris portione dura verſus frontem, orbitam, maxillam ſuperiorem & inferiorem progredientes, diſſecatur quoque ductus ſtenonianus & muſculus colli latiſſimus. Impletur tum vulnus, ſanguinis effuſione ſtypticis ſpongiis &c. impedita, carpto linteo atque panniculis ſiccis, digitis ſemper probe compreſſis tandem tribus vel quatuor ſpleniis craſſioribus per iniectam faſciam ſolarem firmiter deli-

ga-

gatur. Super quam adhuc alia ad muniendam ligaturam cum capitibus quatuor applicari poteſt. Confecta ſic operatione deligatione que applicata leniter in lectulo ſed alto capite deponi aegrotum & vincturam a miniſtro firmiter per aliquot horas comprimi oportet, quo nempe certius ſanguis reprimatur. Cauendum eſt tamen, ne tepore paulo maiori lecti vel conclauis ſanguis extenuetur atque turgeſcat & tali modo haemorrhagia deligationem perrumpat.

Diuerſam ab hac communi operandi methodo ſequitur Cl. SIEBOLD, qui diſſectis integumentis ſoluto tumore, quantum poteſt, a partibus vicinis cum filo cerato ligaturam ſub Parotide applicat, vt ita ſemper arctius conſtringendo omnem impedire ſanguinis effuſionem poſſit, quae toto tumore cum cultello extirpato euitari nullo modo poteſt. Ramis ideo Parotidem adeuntibus aliquando ſubſtrictis, exciditur tumor ad radicem vſque, tum ſi qua oriunda adhuc ſit effuſio, ſpongia ſtatim cera praeparata & in fruſtula conſciſſa applicatur. Neque longa indiget quaeſtione, an haec operandi methodus longe praeferenda ſit ceteris, quippe quae rariſſime magna ſanguinis iactura comitatur, quam vero in alia quauis vix praecauere poſſumus. Annotandum tamen eſt, non ſemper extirpationem ſolo cultello perfici poſſe; id enim non raro nimia tumoris cohaeſio cum arteriis, nimia eius expanſio intra muſculos atque ipſius impotentia aegri interdum inhibent atque vetant. Externis tum perſciſſis integumentis, quod ſemper fieri debet, ne magna cutis pars cauſtico abſumatur, applicatur cauſticum, appoſitis circa tumorem linteis carptis, ne aliae erodantur partes, ſi cauſticum forte flueret. Quae deligatio minus circiter horae vel trium quadrantium ſpatio elapſo tollitur; omnis nempe apparatus impoſitus abigitur, vulnus humoribus purgatur. Satis valide

enim

enim causticum agit intra hoc tempus & crustulam producit, quae paruis incisionibus aperienda est, vt idem medium altero die sua praestare possit officia. Ceterum vnguento congruo quolibet vulnus clauditur. Die sequenti eodem modo causticum imponitur, & in posterum pergitur, donec sensim totus consumatur tumor. Sed quod plurimum difficultatis affert, est nimia cautela, quae adhibenda est, ne arrodantur arteriae, & sic effusio sanguinis lethalis subsequatur. Quae vero si etiam boni euentus sint, semper tamen non parum periculi in hac extirpandi methodo est, cum eam plerumque vlcus nunc magis nunc minus malignum sequatur, & dolores vix tolerabiles per totam tractationem sequantur. Sed praeter haec tanta est humorum & quidem aquosorum copia, quae in hac regione circulat, vt nullo modo pus bonae speciei oriri valeat, sed potius vlcus anceps diuque rebelle coniiciendum sit; quare huius remedii vsus nunquam satis dissuaderi potest. Non raro quoque contingit, incisione facta videas tumorem modo membrana aponevrotica inclusum ideoque immobilem esse, id quod cultello destitutus, vix distinguere poteris, atque tam facile extirpari posse, quam alium quemcunque per integumenta mobilem. Huic tamen remedio Cl. PRAESIDIS experientia fauet, quippe qui ducem militum supremum affectum Parotidis scirrho, quem Galliae chirurgi extirpare non sunt ausi, vsu caustici restituit, licet vlcus subsequens in ipsa cura multas ei molestias conciliauerit.

De aliis, quae operationem sequuntur, nil dicam, id omni chirurgo sat cognitum est, legitur quoque in historia huic dissertationi adiuncta, quam mihi porrexit ex diario suo Cl. PRAESES, qui hanc operationem aliquoties & semper felicissimo cum effectu, vti chirurgo solertissimo atque exercitatissimo conuenit, suscepit. Et

his

hic quoque publice fateri, qualia ſint huius viri excellentiſſimi in me merita, haud inopportune erit factum. Nam adductus Herbipolim fama eius per omnem eruditorum orbem clara celebrique, non ſolum eius inſtitutionibus ſed & ſingulari gaudebam amicitia. Non enim modo director beneuolentiſſimus & magiſter ſincerrimus in collegiis & noſocomiis mihi fuit, ſed & circulo familiari me ſaepe adhibuit, omnique occaſione data verum ſe mihi exhibuit amicum, qualis vt permaneat, non ſatis eum rogare atque optare poſſum. Me quod attinet, nullum fatum nullaque rerum mutatio efficere poterit, vt tantam tot beneficiorum collatorum molem non gratiſſimo ſemper recolam animo, vel vllo modo obliuioni tradam, ſed publice me viro ei totum deuincio atque addico, cui plurimum debeo, cuius memoria mihi in ſummo ſenio non paruis erit deliciis.

Ioannes Mathias D. . . verbi diuini Diaconus N. . . temperamenti ſanguinei habitusque corporis validi elapſis iam duodecim annis circa & pone auriculam dextram, vbi Parotis ſita eſt, paruum acinulum magnitudine ciceris obſeruauit, quod ſenſim ſenſimque auctum mox ouo columbino aequabat. Nullam huius mali cauſam prodere potuit, niſi quod contuſione quadam valde dolente olim hac in regione percuſſus fuerit. In eius curam medici cicutam ſine vllo tamen effectu interne atque externe praeſcripſerunt, idque longum per tempus. Scirrhus tum Wirceburgum venienti erat indolens, ſurſum deorſum & ad latera mobilis, concolor cuti motum maxillae non multum impediens. Praeparato corpore leni euacuante & diaeta vegetabili die XXVIII. Ian. praeſentibus diſcipulis & miniſtris operatio facta eſt. Integumentis oblonge a mea-

meatu auditorio cartilagineo ad colli mediam partem incisis tumor vel cultello vel digito indice caute & sensim separatus est. Quanquam vero omnis adhibita fuerit cura, ne vulnus infligeretur arteriis, dissecta tamen fuit tranuersa faciei, qua statim ligata sanguinis profluuium sistebatur. Auditoriam, quae perscindi debebat, & alias in Parotidis substantiam migrantes arterias spiritus vini rectificatissimus clausit, ceterum tumor sine magna sanguinis effusione & sine vllo impedimento extirpatus fuit. Superiore in parte prope arteriam temporalem & inferius versus angulum maxillae inferioris aliquid glandulosae substantiae restitit, quod quia molle adhuc fuit, sine dubio in loco suo linquebatur. Vulneri linteo carpto impleto emplastrum matris impositum, super quod splenia quaedam & fascia applicata sunt. Ad dolores sedandos aegro porrigebantur xviij. gtt. laudani liq. Syd. aqua commixtae.

XXIX. Iun.

Postmeridiano tempore febris vehemens, tumor inflammatorius, rubor, dolores, loquendi & deglutiendi difficultates, omniaque inflammationis signa accedunt. Vena secatur, datur quoque mixtura temperans cum nitro, cataplasma circa collum ex speciebus emollientibus & floribus sambuci, clysmata, & dein totum regimen antiphlogisticum obseruatur.

XXX. Junii.

Dolores silent, tamen agrypnia, febris remittit, vulnus madidum ad suppurationem aggreditur. Digestivum simplex cum emplastro matris imponitur.

III.

III. Iulii.

Suppuratio bona, verſus aures tumor, ortus ab inflammata tela cellulofa, tamen ſuppuratio per aliquot tempus perſiſtens abſumit omne praeternaturale. Deligatio ſemper fit vt prioribus diebus.

V. Iulii.

Pus bonum, copioſum, tumida tela cellulofa fit tenuior, collabitur, corruptae partes ſeparantur, dolores & rubedo evaneſcunt, ſpes omnis reſtitutionis. Aeger laeto eſt & hilari animo, appetitu gaudet ſano, ob nimiam puris generationem bis deligatio ſingulo die renouatur. Sic vulnere ſenſim meliorem in ſtatum redacto & luxuriante in marginibus carne lapide infernali correcto breui plane ſanatus abiit.

T H E S E S.

I.

Cruenta amputatio partis ſphacelo corruptae, qualiscunque cauſa fuerit, non indicatur.

II.

Scirrhus tanquam cancri cauſa praediſponens reſpici debet, quum is accedente quauis cauſa occaſionali in talem mutetur.

III.

In ſcirrho vero exquiſito nil iuuat, quam exciſio.

IV.

Omne contagium corpori per vaſa lymphatica aduenit.

V.

Inflammationis idea in fortiori arteriarum fibratione & impulſu, tranſitu vero impedito, concipitur optime.

VI.

Criſis morborum non fit per relaxationem ſtimuli neruei, ſed per coctionem.

VII.

Motus cordis ſolum a vi ſua propria muſculari, non ab influxu ſpiritus neruoſi pendet.

VIII.

Quo magis in amputatione parcitur cuti, eo celerior fit curatio.

IX.

Placenta nunquam poſt partum ſtatim educenda eſt.

X.

Iactura humoris vitrei aliqua non effectui bono operationis obeſt.